



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**De Catholico Nomine, Sanctae Christi Ecclesiae Insigni Et
Nota Verissima, Oratio**

Franck, Caspar

Ingolstadii, 1584

VD16 F 2038

urn:nbn:de:hbz:466:1-31397



~~724/6~~

J 372.

ERZBISCHÖFL.
AKADEMISCHE
BIBLIOTHEK
LEOSTR. 21
PADERBORN

DE CATHOLICO NOMINE, SANCTAE CHRISTI ECCLESIAE
 INSIGNI ET NOTA VERISSIMA,
 ORATIO.

RECITATA IN CATHOLICA
Ingolstadiensi Academia

A
 CASPARO FRANCO SS.
 Theol. Doctore & Professore
 Ordinario &c.

Frank.



INGOLSTADII,
 Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.

M. D. LXXIV.

DE CATHOLICA
COMUNITATE SAN
CTAE CHRISTI ECCLESIAE
IN OMNI ET NOTA VERISSIMA
GRATIA

RECTORIA IN CATHOLICA
Institutione

CASPARO FRANKO SS.
Theol. Doctor & Professor
Ordinarius &c.

INGOLSTADII
Theol. Doctor & Professor

M. D. LXXIV.

MAGNIFICO, NO-
BILI ET CLARISSIMO
VIRO, DOMINO CHRISTOPHORO
ELSENHEIMER IN HAMPERSPERG,
I. C. SERENISSIMI BAVARIAE DVCIS GVILI-
ELMI &c. Cancellario & Consiliario
intimo.

SALVTEM ET FELICISSIMUM
ineuntis Anni auspiciam ex animo
precatur.



VÆ SIT NOSTRORVM
temporum calamitas atque misera
& acerba rerum omnium in Christia-
na Republica conditio; sanctissima
Catholicæ veritatis disciplina tot
prauarum sententiarum contagione
labefactata, tot corruptelarum ille-
cebris irretita, satis superq; testatur;
atque adeo vt saxo & silice de Caucaſo exciſa duriora gerat
præcordia, qui non in communi dolore & lachrymis, Eccle-
ſiæ vnitatem tam indignè diſtrahi ac dilacerari atque totius
Christianitatis intolerabili malo infeliciffimè diſcerpi, non
doleat, defleat, deploret, ingemiſcat. Nulla enim ferè ex-
actis tot iam ſeculis exitit hæreſis, quæ paucorum annorum
ſpatio, tam miſerandas tamq̃ue luſtuofas calamitates, tam
terribiles motus, admirandasq̃ue concurrentibus hominum
opinionibus diuiſiones in Eccleſiam inuexiſſet, quàm hæc
ipſa, quæ hoc noſtro infelici ſeculo concitata dignoſcitur; &

A 2

deinde

E P I S T O L A

deinde in tam sæuam innumerabilium pene capitum hydram excreuit, vt non dico ditioni cum ditione, ciuitati cum ciuitate, sed nec domui cum domo, imò nec quidem homini cum homine in Religionis articulis conueniat.

Quid verò in tanto dogmatum æstu, tantaque animorum contentione & diffensione, tamque horrendis errorum nubilis & cæcis noctibus tutius, securius & vtilius agere possumus, quam vt sub dulcissimo piæ ac officiosæ matris Ecclesiæ complexu & conspectu iucundissimo viuamus; illius curæ & tutelæ nos totos dedamus atque committamus; neque ab ipsius sinu ac gremio vel diris comminationibus, vel fallacibus verborum lenociniis, vel alia quacunque ratione nos abstrahi & auelli vnquam patiamur?

Illa enim est, quam inter Fidei articulos in Apostolorum symbolo corde firmiter credimus, & ore liberè profiteamur: quæ quasi perenni & continuata tot ætatum serie, ad Apostolicam & legitimam CHRISTI originem & fontem Euangelij, tramite veritatis indeclinabili, veluti Thesei filo nos dirigit: quæ semper, diuinæ prouidentie singulari & eximia prærogatiua, persecutiones tam diras passa, splendidius emicuit; oppugnata semper inuicta floruit; pressa nunquam opprimi potuit; lacerata tot hæresibus, luculentioribus semper veritatis radiis effulsit: quæ cum seculum errorum tenebris inhorresceret, salutis iter inquirentibus, semper Euangelij splendidissimum lumen prætulit: quæ morte suorum reuixit, sanguine tot constantissimorum Martyrum vegetior facta, clarissima & gloriosa trophæa reportauit: quæ Catholica est, ac indurpta omnium ætatum serie, successionis iugi continuitate, vniuersæ antiquitatis consensione, totius orbis approbatione, omnium gentium omniumque populorum vnanimi communionem stabilita, corpus CHRISTI est, atque columna & firmamentum veritatis, vrbs fortitudinis, murus inexpugnabilis, domus supra firmam petram à Domino exstructa, ciuitas
supra

2 Timothi, 3.

DEDICATORIA.

supra montem posita; ad cuius splendorem Reges obstupescunt, ubi semen Abrahæ ad similitudinem stellarum lucet per medias noctis tenebras: quam Tyrannorum furor, Hæreticorum insania, Infidelium & tot persecutorum rabies manifestè demonstrat: Cuius iudicio Angeli stabunt, cuius auctoritate munitissima discernitur verum DEI verbum ab adulterino; verus vsus Sacramentorum à profano; purus doctrinæ candor ab impuro: pro cuius fide efficacissima prece orauit CHRISTVS, & exauditus est pro reuerentia sua: Cui prouida necessitate promisit pariter & misit Spiritum veritatis, vt maneat cum ea in æternum, & doceat eam omnia: per cuius ministerium non sumus paruuli fluctuantes omni doctrinæ vento; quo usque occurramus omnes in virum perfectum: in qua est remissio peccatorum & iustificatio, à Diaboli insidiis protectio; gloriosa quoque resurrectio: Extra quàm postremò neminè viuificat Spiritus sanctus, neminem saluat Christus, neminem recipit cœlum.

Quod cum ita sit, tamque gloriosa sint dicta de ciuitate DEI, non blandiantur sibi Hæretici, qui elato quodam mentium stupore, despecto Ecclesiæ veræ ministerio, à CHRISTO sperare æternam vitam conantur. Vt enim mundum diluuiò inundante, & ira DEI vniuersum genus humanum depascente, nemo salutem obtinuit, nec vlla cuiquam profuerunt conscensæ montium cacumina, extra Noë arcam: sic diluuiò impietatis mundum demergente, nemo salutem sperare, nemo refugium habere poterit, si vecordi & superba temeritate se proiecerit extra CHRISTI Ecclesiam, vt præclare D. Gregorius Nazianzenus scripsit:

ΖΗΤΩ ΝΩΕ ΚΥΒΩΤΩΝ ὅπως μὴ ὄν ἀλύξω,
Noëam quero, mala ne mors me obruat, Arcam.

Vnde & Esaias, cum Ecclesiæ mirabilia & magnifica Elogia denuntiasset, rectè concludit: Gens & regnum quod non seruierit tibi peribit, & Gentes solitudine vastabuntur. Et Ioël: In monte Sion & in Hierusalem erit saluatio, dicit Dominus.

Psal. 85.

Psal. 26.

Matth. 18.

minus. Similiter Regius Propheta inquit: Beati qui in domo tua habitant, in secula seculorum laudabunt te. Item: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Præterea CHRISTVS salutis nostræ Magister luculenter docet; Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.

Quare subsannet petulantesque nares corruget vel Epicuri de grege porcus, vel vanus aliquis Neutralis, sicut & Noam irridebant sui seculi homines; certum tamen est, vnam esse Fidem, vnam esse Ecclesiam, à qua quicquid dissonat non fides sed perfidia est; nec potest habere DEVM patrem, qui non habet Ecclesiam veram matrem.

August. lib. 2.
de ciui. Dei,
cap. 21.

Enchir. 65.

August. lib.
de patientia
cap. 28.

Possunt quidem extra hanc Ecclesiam esse aliqua DEI munera, vera aliqua de CHRISTO sententia, ipsius CHRISTI Sacramenta, bona aliqua opera: sed non iustitia & sanctitas vitæ, non peccatorum remissio, non solida spes hæreditatis æternæ: sicut Abraham, filiis concubinarum, per quos hæreses & schismata designantur, largitus est quædam munuscula: at soli filio Saræ (quæ matrem nostram Ecclesiam præfigurabat) hæreditatem.

Quamobrem in ipsis primis & summis Religionis nostræ principiis, & Fidei articulis, Sacrosancti Apostoli certis, genuinis & infallilibus notis & indiciis, ab æmulis Satanae Synagogis, vnam illam castissimamque CHRISTI Sponsam expressè distinxerunt, inter quæ vt splendidum sidus vox Catholica emicat, qua vel sola maximè suggillantur Hæreticorum & à CHRISTO alieni cætus.

Cùm igitur superiori Anno in hac Catholica Academia Ingolstadiensi, ratione officij, publicè perorandū mihi esset, hoc veræ Ecclesiæ amplissimum & indubitatum insigne contra vanissimas Sectariorum calumnias & maledicta, non humanis opinionibus ex turbidis ac lutulentis quibusdam riuulis haustis, sed ex fontibus Israel atque euentissimis & luculen-

tis

tis diuinæ Scripturæ testimoniis; ac ex antiquorum Patrum aliorumque Doctorum monumentis, purè deductis, potissimum explicauit, & rem totam in vnum quasi Orationis corpus redegit atque colligauit. Pro Epilogo quoque & Colophone seriam & summopere necessariam adhortationem ad vitam & disciplinam Catholica fide dignam ineundam adieci; ne ob nostros corruptissimos mores honos Ecclesiæ proculcetur, DEI veritas periclitetur, CHRISTI nomen blasphemetur, Grex CHRISTI dissipetur.

Cæterum hanc qualemcunq; Orationem, Magnifice Domine Cancellarie & Patrone Colende, M^a. T^a. fidei & patrocinio, pro felicissimo ineuntis Anni auspicio, potissimum dedicare, præclaroque nomini tuo nuncupare & consecrare volui; cum præcipua quadam animi contentione feruentissimoque zelo, ea in hoc allaborret, vt imprimis Catholica fides & cœlestis doctrina facta testaque conseruetur, quæ tantò est omnibus aliis rebus superior & præstantior, quantò excellentiora sunt cœlestia terrenis, diuina humanis, æterna caducis. Nouit enim, & optimè nouit, M^a. T^a. res humanas aliter tutas esse non posse, nisi ante omnia præclarum illud veræ fidei fundamentum sit iactum. Nouit veram Religionem præcipuum & maximè necessarium esse totius vitæ ornamentum. Nouit qua incredibili mentis celsitudine & zelo ardentissimo Serenissimus Bauariæ Dux GVILIELMVS &c. immortali memoria concelebrandus, omnes vires impendat, vt in antiqua & sincera Religione suos conseruet, ac Ecclesiæ pacem in sua ditione stabiliat atq; foueat. Et quod quondam Generoso & verè Imperatorio censebat animo Iouinianus, indignum arbitrans Imperatore Christiano, imperare non Christianis; hoc ipsum magna planè atq; admirabili mentis altitudine indicat Sereniss. Cels. sua, cum re ipsa ostendat, tum demum firmas, stabiles, inuictas & felicissimas fore Respublicas, si fides, Religio, veritas & pax CHRISTI eas muniat; & vbi summa

Theod. Eccl.
Histor. lib. 3.
cap. 4.

CAESAR FRANGVS D.

Fidei

EPISTOLA DEDICATORIA.

Fidei ac Christianæ Religionis cōcordia Christus regnat. Suae itaq; Serenissimæ Cels. piissimum & feruentissimum animum salutaresq; conatus, M^a. T^a. sincero corde & animo, consiliis ac ope fideliter adiuuat: Alumnos, qui Dominicam messem cœlestis doctrinæ fluentis aliquando irrigent, sedulò promot: Eosq; ornandos & complectendos arbitratur, qui de Religione Christiana bene mereri student: tota denique in eam curam & cogitationem incūbit, quæ Ecclesiæ salutem, & sibi ipsi summam dignitatem & gloriā est allatura. Commendent alij eruditionem tuam; in negotiis diiudicandis dexteritatem, prudentiam & humanitatem; reliquasq; virtutes tuas admirentur: At maxima hæc & æterna laus est, ad Dei gloriam & voluntatem omnia consilia cogitationesq; in rebus agendis libenti ac alacri animo conferre, seque plantationem Dei esse agnoscere, ad glorificandum eum. Talis enim Consiliarius, & præcipuè Cancellarius, eximium ac singulare Dei donū est; vt verè ab Isocrate scriptum sit: *σύμβουλος ἀγαθὸς κοινὸν ἀγαθόν, βασιλικώτατον τε καὶ χρησιμώτατον ἀπάντων κτημάτων εἶναι.* Consilium bonum commune bonum esse & maximè Regium ac vtilissimum regni thesaurum.

Quare pro eximia tua erga me benevolentia & humanitate perpetua, te oro atque obtestor, vt quod optimo consilio debitaq; animi gratitudine, in causa & pro causa Ecclesiæ Catholicæ à me factum est, ea animi pietate, qua sacrosanctam Religionem complecteris, illaq; vultu hilaritate, qua de omnibus bene mereri cupis, pro felicissimo noui Anni auspicio benignè suscipias; meq; patrocinio tuo, vt fecisti hæctenus, porro complectaris & tuearis. Datum Ingolstadij in Festo D. Thomæ Apostoli, incunte anno Natiuitatis CHRISTI M. D. LXXXIV.

Mag. Dom. T.

addictiss.

CASPAR FRANCVS D.

Isa. 61.

I
DE CATHOLICO
NOMINE EIVSDEM-
QUE PROPRIETATE
ORATIO.

CONTRA DIVERSA ORTHO-
doxa religionis capita N. N. atq; sa-
cro sancta Christi & Apostolorum
deposita, diuersis dogmatum pugnis,
per varios falsitatis suæ satellites dimicauit olim
princeps ille tenebrarum, autor impietatis & sce-
leris, atq; salutis humanæ inimicus ac hostis cru-
delissimus & infestissimus.

Per alios enim benedictam Christi Domini
nostri personam, ipsiusq; diuinitatem & humani-
tatem periculosa & ancipiti contentione, & qui-
dem calentibus adhuc prædicationis Euangelicæ
cunabulis, acerrimè oppugnavit; quorum pugna
tam vehemens, seductio tam valida, ut ex illis om-
nibus variisq; hesitantium sectis, post celeberrimū
illud Chalcedonense Concilium exortis, maximè
detestandus ille Mahometismus sit conflatus, qui
Christi nomen & maiestatem penitus abolere summo
conatu attentauit, atq; (pròb dolor) de factò ma-
ximam orientis partem, totamq; Aphricam, vel à
B fide

fide Christi incorrupta miserè abduxit, & ad turpissimum Mahometis cultum summo cum scelere coëgit.

His verò extremis & perditis seculis, in tanta rerum omnium confusione & perturbatione, serpens ille pestilens, cunctas admonet machinas, omniq; contentione elaborat, ut Catholicam Ecclesiam, corpus Christi mysticum, totamq; Ecclesiasticam auctoritatem labefactet, concutiat, & tandem funditus euertat. Hoc autem non minus facit versutè (si solerter & diligenter illius fraudes inexpliabiles perpendimus) neq; cum tolerabiliore multarum animarum, quas Christus pretiosissimo sanguine suo redemit, aeterno exitio, quam cum olim manifesta impietate sublimibus Deitatis vel redemptionis mysteriis sese opponeret. Etenim perspiciens astutus hostis, quamcunq; fidei nostrae partem attentaret, Ecclesie vigilantia auctoritate ubique sese opprimi, deq; illius armario depromi veritatis armaturam, qua prostratus & iugulatus periret, deq; illa veritatis arce inuicta, fidei clypeo violentos & fallacissimos suos conatus retundi; tandem arma corripuit & uniuersas suae Tyrannidis vires, contra Ecclesiam ipsam hostili manu
arma-

armavit. Animaduertit versutus & sagax inue-
 terator, hanc si obscurare vel deprimere posset, eti-
 am in quibus hactenus succubuit, plenas sibi vires
 reparari posse. Quid enim sanum? quid incolume?
 quid certum ac stabile nobis maneat? quomodo
 non uniuersa totius fidei & veritatis nobis vacil-
 lent & conuellantur firmamenta, si Ecclesia tolla-
 tur vel alienetur, per quam & Scriptura ad nos
 peruenerunt, & in qua totius Apostolicae doctrinae
 depositum hactenus fidelissime conseruatur. Abo-
 lebitur Spiritus sancti gloria, si aboleatur Ecclesia,
 quam ille sanctificat. Abrogabitur Christi redem-
 ptionis salus & fructus ipsius mortis, si auferatur
 Ecclesia, pro qua ille ad mortem seipsum tradidit.
 Erroribus implicabuntur animi fidelium, & lu-
 brico gradu nutabunt ad omnes doctrinae ventos
 fluctuaturi, si constantissima deseratur veritatis
 columna, ubi quae obscura erant & dubia & incer-
 ta, ibi magna fulserunt certitudine, ubi omnis er-
 ror elisus & omnis veritas confirmata. Quare ni-
 hil utilius & contra immanis atque fallacis beluae in-
 sidias nihil praestantius & ad omnem veritatis no-
 titiam luculentius, à veris verae salutis amatori-
 bus fieri potest, quam grassante heretica peste &

prauitate inuictum illud Catholica Ecclesia nomen
 & autoritatem tenere, atq; eam uti columnam &
 firmamentum veritatis in omnibus sequi, aliosq; ut
 tanquam ad tutissimum receptaculum eò se confer-
 re, atq; dulcissima Matri adiungere velint, sedulo
 adhortari. Hoc enim à fidelibus Christiani ouilis
 pastoribus D. D. Cypriano & Augustino, aliisq;
 magna animi constantia uno ore factum esse legi-
 mus. Exclamârunt enim vigilanter, ac veluti or-
 ta turbulenti maris contra nauiculam Christi in-
 surgentis, horridumq; intumescens tempestate
 celestis illud cantare non dubitârunt. Non po-
 test Deum habere patrem, qui Catholicam Christi
 Ecclesiam non habet matrem. Sic contra Diaboli
 Synagogam à Nouatianis per Aphricam & Itali-
 am maximo numero, sub Christi tamen nomine
 efflorescentem, clamabat D. Cyprianus. Sic contra
 infinitam illam Donatistarum colluuiem, in Chri-
 sti nomine (uti iactitabant) per Aphricam sub E-
 piscopis ferè quadringentis confluentem exclamat
 D. Augustinus, Optatus & reliqui, quotquot sua
 stationis memores, fidelem gerendo Christi contra
 intestinos suos hostes, impiosq; perduelles bello na-
 uabant operam.

Cyprianus de
 simp. prael. tra-
 ctat. 3.

Augustinus de
 vnitate Eccle-
 siae. Item Epist.
 50. contra Par-
 men.

Cum

Cum itaque hodierna luce ex recepta & laudabili huius Academia consuetudine aliquid proferre in medium hic locus iubeat, hoc tempus exigat, iucundissimus hic conspectus vester admoneat, nihil profecto huic vel loco aptius, vel tempori accommodatius, vel tantæ nobilissimorum & doctissimorum assidenti coronæ gratius ac oportunius posse me dicere existimaui, quàm si Ecclesiæ causam agerem, & contra præsentēs hæreses aliquid proponerem. Video enim contra hoc pestilens malum nihil satis unquam aut frequenter, aut acriter, aut copiose dici posse: Adeo illud & uberrimam dicendi materiam præbet, & tam infestè præterea multis iam annis in ipsis Germaniæ patriæ nostræ charissimæ intimis visceribus grassatur, ut de isto fugiendo vel solummodo vel certè potissimum agere debeat, qui cum aliquo auditorum fructu & laboris sui commodo dicere elaborat. Neque ulla magis aut utilis disciplina, aut laudabilis industria, aut illustris ingenij & studiorum exercitatio haberi potest, quàm quæ in fidei veritate, integritate & maiestate explicanda, asserenda, & illustranda versatur, cum illa querantur bona, quæ neque arugo, neque tinea demolitur, neque fures effodiunt aut furantur; quæ

omnes peccati nervos excidunt; quæ diuinam mentis effigiem illuue infuscatam in pristinum splendorem restituunt; quæ tenues animi opes incredibili constantia corroborant; quæ cunctas cogitationes ab humanis rebus ad sanctimonie studium traducunt, viamq̄ certam atq̄ directam in cælum ostendunt atq̄ aperiunt.

Agite itaq̄ & nos, non quidem eo genere orationis, quod rerum magnitudo postulat & sanctissimi Doctores ante nos prestitere, sed eo quod ingenij nostri tenuitate excoli potest, contra circumlatrantem heresin de Ecclesia celestis illud ingemimus, atq̄ illius certam & indubitatam notam, videlicet nobilissimum illud Catholicum nomen, quo vel solo ab omnibus falsis Ecclesiis & perditorum hominum conuenticulis, perspicue dignoscitur, expendamus, viuaq̄ vocis ministerio, quomodo hoc Elogium & dignum Christi sponsæ in signe veris solummodo Christianis conueniat, solide ex SS. Scriptura & vetustissimorum Patrum monumentis, testibus omni exceptione maioribus, in hac Catholica Academia illustremus & explicemus.

Vos quæso Auditores Humanissimi diligenter,
quod

quod facitis, attendite, & singulari humanitati vestrae, qua singulos perorantes patienter audistis, hunc modò cumulum addite.

CHRISTVS Dominus sua functus legatione ad Patrem sempiternum iturus, Apostolos suos ut per triennium ante mortem, ita diebus quadraginta post gloriosam suam resurrectionem, & misso veritatis omnis magistro Spiritu sancto, de omnibus ita instruxit, ut nihil eorum qua ad religionem Christianam fundandam sunt necessaria, eis defuerit. Quia igitur unam uniuersi erant toto orbe in Christi nomine fundaturi Ecclesiã undiq; concorditer congregandam, unũ sibi confecerunt Symbolum, & certam veluti suæ militiæ tesseram, quam oporteret omnes in Christi ouicularũ numerum recipiendos inconcusse & tenere & profiteri. In ea verò fidei Christianæ formula, uno Spiritu confitentur omnes Catholicam Ecclesiam. Quòd fidei Christianæ capitulum si rectè expendamus, abunde nobis certas & infallibiles exponet notas, seu characteres, quibus vera illa Dei domus, Christi & Apostolorum opera toto in mundo collecta, semper possit inueniri, certò cognosci, & ab imagina-

riis

riis amuli Diaboli Synagogis indubitanter discerni. Vt verò commodius de re proposita differamus, ipsius Catholici nominis ratio atq; dignitas explicanda est.

Nemo autem dubitat Catholicum Græcum esse vocabulum, generalitatem quandam, imò ubi-quitatem, & quod undiq; colligitur, siue unum in cætum quacunq; orbis parte congregatur, significare; quod Latini tanquàm venerandam religionis Christianæ vocem sibi seruandum & non immutandum existimârunt. Germani putârunt sua voce admodum propria mutandum in Allgemein/ quod apud omnes orbis populos extensum, siue per omnes hominum nationes est diffusum atq; dilatatum. Vniuersalis igitur Ecclesia nominatur, ut quæ, non in aliqua orbis parte, sicut veteris Religionis populus, sed vniuerso orbe; neq; ad certum aliquod tempus, sed ad consummationem vsq; seculi; neq; peculiariter ex Isrâëlitis, sed ex omnium hominum nationibus colligitur & propagatur.

Epistol. 170.
Ennarrat. in
Psal. 65.

Quare hoc nomen D. Augustinus explicans, Catholica (inquit) appellatur, eo quod per totum terrarum orbem diffunditur. Et iterum: Catholica totum tenet: Et rursum, καθολικὴ Græcè, secundum

dum totum Latinè dicitur, unde Catholica nomē accepit. Atq; ita sese rem habere ex S. Scriptura hisce verbis euidenter confirmat; Dicente ipso Domino; Eritis mihi testes in Hierusalem, & Samaria, & tota Iudæa, & usq; ad ultimum terræ; planè indicat unde Catholica vocatur. Ex quibus dictis iam magna ex parte adimpletis, annotat venerabilis ille Beda. Vnde Ecclesia Catholica sit nuncupata Lucas docet, dicens: Ecclesia quidem omnes per totam Iudæam & Galileam & Samariam habebant pacem, & edificabantur ambulantes in timore Domini. Quod enim uniuersale hoc loco Latinè, hoc dicitur Gracè Catholicon. Vnde liquidò patet, quòd inde Catholica vocatur Ecclesia, quòd per totius mundi partes in una pace, in uno timore Domini edificetur, una eademq; sancti Spiritus consolatione repleatur. Hæc ille.

Actor. 1.
cont. Petil. lib.
2. cap. 38.

Beda in Com-
ment. super
Cant. 6.
Astor. 9.

Quamobrem cum vera Christi Ecclesia unius fidei splendore per totum terrarum orbem diffundatur, atq; seipsam omnibus notam & manifestam faciat, ex hac sola vocis Catholica nuncupatione, veram Christi Ecclesiam, à falsis Hereticorum conuenticulis semper discretam & distinctam fuisse, perpetua ferè rerum praxis, tam in præceden-

C

tibus

tibus quàm etiam presentibus hæresibus probat & demonstrat. Cum enim omnes hæreses, quæ aut certos aut novos Autores habuerunt, nec in recepta omnium consensu doctrina & fide permanserunt; aut certis in locis tantum, non ubique vigerunt; aut circa certam non omnem doctrinæ partem errarunt: Ideo vel ab Autoribus suis nomina propria singula acceperunt, ut Valentiniani, Marcionite, Manichæi, Ariani & pleraque, ferè alia nostra tempestatis sectæ: vel à locis quibus grassabantur nuncupata sunt, ut Cataphryges, quia in sola Phrygia, Pepuziani, ut Epiphanius scribit, à ciuitate deserta, eius nominis, Albingenses ex Comitatu Albingensi prope Tolosam in Gallia: vel à doctrina quam oppugnabant nomen sortitæ sunt, ut olim Anthropomorphitæ, Monothelitæ, Iconomachi, & hodie Sacramentarij, Anabaptistæ, Vbiquitarij & similes. Hinc sanè factum est, ut omnes hæreses his propriis nominibus designata, etiam ex hac ipsa nuncupatione ostenderent partes se esse ratione vel locorum; vel temporis; vel personarum; vel ipsius doctrinæ: Sola autem Orthodoxa vera Ecclesia, Catholica vocaretur, ut quæ sola, nec noua unquam esset, sed perpetua; nec certis in locis, sed ubique vigeret;

vigeret; nec ab aliquibus certi nominis Autoribus, sed à tota successione cathedræ Ecclesiasticæ penderet; nec deniq; partem aliquam veritatis, sed totam veritatem teneret. Ex hac porro ratione sequitur, ut cum alias Ecclesia notas & proprietates vendicare sibi varia, peneq; omnes sectæ non sint veritæ, seq; & sanctam & Apostolicam, & unicam Dei Ecclesiam vocarent atque assererent: tamen hanc Catholicæ notam in sensu prædicto præferre nulla hæresis poterit, nec eo se nomine vendicare hætenus ausa fuerit. Hoc enim ne faceret, partim ipsius rei evidentia non est passa, cum cuius clarum esset, nullam sectam, vel hæreticam cecitatem aut ubique diffundi & crescere, aut perpetuam fuisse; partim commune totius orbis iudicium, à quo sola Orthodoxa Catholica dicta est; & adeò semper hoc eius proprium cognomen fuit, ut qui aliter loqui & aliter eam appellare vellent, ne intelligi quidem possint.

Testatur hoc ante mille & ducentos annos contra Sympronianum Novatianum, Pacianus Barcelonensis Episcopus (quem D. Hieronymus Castigata Eloquentiæ virum & tam vita quàm sermone clarum nominat) quod propter varias sectas &

Pac. Epist. ad Sympro.

Hieron. de viris illustr.

hæreses statim ab Apostolorum temporibus exortas, quemadmodum fideles ut à Iudæis & Paganis distinguerentur, vocabatur proprio nomine Christiani: sic ut ab Hæreticis omnibus discernerentur, additum esse nomen Catholici. Cùm post Apostolos (inquit Autor ille gravissimus) hæreses extitissent, diuersisq; nominibus columbam Dei atq; reginam lacerare, & per partes scindere niterentur, cognomen suum plebs Apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem. Ne itaq; astues frater, Christianus mihi nomen est; Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit. Hoc probor, inde significor. Et paulò post: Ego fortè ingressus populosam urbem hodie, cùm Marcionitas, cùm Apollionaricos, Cataphrygas, Nouatianos & cæteros eiusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent, quo cognomine congregationem meæ plebis cognoscerem, nisi Catholica diceretur?

Quemadmodum enim impiopium, falso verum, ita Hæretico Catholicum semper opponitur, & Christiana quidem vel doctrina, vel professio, vel persona Iudæismo & Ethnicismo.

August. lib. de
vera rel. cap. 7.

Similiter D. Augustinus præclare scribit: Christiana

stiana Religio Catholica nominatur, non solum à suis, verum etiam ab omnibus inimicis; velint enim nolint ùe ipsi quoq; Heretici & schismatum Alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant. Non possunt enim intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab uniuerso orbe nuncupatur.]

Optatus quoq; Mileuitanus Episcopus literis memoriaq; prodidit, quod de Catholico nomine maxima contentio facta sit, quo à Donatistis Orthodoxi certò disungerentur: Retento (scribit) Brixia Caciliano & Donato non permissore-dire, missi sunt in Aphricam duo Episcopi Euno-mius & Olympius, ut remotis duobus unum ordi-narent: venerunt Carthaginem: Fuerunt per dies quadraginta ut pronuntiarent ubi esset Ca-tholica. De studio partium strepitus quotidiani sunt habiti. Nouissima sententia eorum Episco-porum talis legitur, ut dicerent illam esse Catholi-cam, quæ esset in toto terrarum orbe diffusa.

Verum enim uero multò maior postea hac de re disputatio in illa celeberrima Carthaginensi colla-tione habita est, quam accuratè D. Augustinus

C 3

descri-

Opt. lib. 1. con-
tra Par.

August. in bre-
uicula collat.
collat. 3. diei.

Cod. de S. Tri-
nit. & fide Ca-
thol.

Epist. 33.

Her. 88.

Lib. 6. cap. 18.

describit. Prima contentio facta est de nomine Ca-
tholico, Orthodoxis probantibus se Catholicos me-
ritò esse & vocari, quia Ecclesia toto orbe diffu-
sa ipsi non Donatistæ communicarent.

Imperatores quoque inuictissimi Gratianus,
Valentinianus, & Theodosius, qui Christiano-
rum Orthodoxam fidem tenebant, Catholicorum
nomen iubent amplecti, reliquos hæretici dogma-
tis infamiam sustinere.

Apud D. Ambrosium cætus ille fidelium, quem
Ambrosius Episcopus cogebat, Catholici vocan-
tur. Dicebant enim milites Imperatori se præsto fu-
turos, si viderent eum cum Catholicis conuenire.
Alioqui se ad eum cætum, quem Ambrosius coge-
bat, transituros.

Apud Epiphanium qui Meletio ab Ecclesia
eiecto adherebant, vocabant se Ecclesiam Marty-
rum propter persecutionem: Qui verò Petro le-
gitimo Episcopo succedebant veras habentes Ec-
clesias, vocabantur Ecclesia Catholica.

Apud Sozomenum quos Arianus Imperator
in ciuitate Edessa persequabatur Ecclesia Catho-
lica & populus vocatur. Similiter inter sectas Mace-
donianorum & Nouatianorū rectè sentientes Ca-
tho-

tholici nominantur. Sanè propter hoc tam certū & proprium Orthodoxæ cognomen, dixit Augustinus se in Ecclesia gremio tenere ipsum Catholica nomē.

Lib. 4. cap. 19.

Cont. Epist.
Fund.

Beatus ille Hippolytus morti vicinus cuiusq; egregius animus pro Christi nomine mox liber ac solutus futurus è corporeis vinculis exilire gestiebat, suos ut sese Catholicis coniungerent populis ardentibus verbis admonuit. Is enim, ut ait Prudentius,

Prud. in pass.
Hippolyti.

Quondam schisma Nouati
Presbyter attigerat, nostra sequenda negans.

Verùm cum Catholica fidei redditus esset;

Plebis amore suæ multis comitantibus ibat,

Consultus quænam secta foret melior?

Respondit: fugite, ô miseri, execranda * Nouati

* Lutheri,

Schismata, Catholicis reddite vos populis.

Vna fides vigeat, prisco quæ condita templo est

Quam Paulus retinet, quamque cathedra Petri.

Quæ docui docuisse piget, venerabile Martyr

Cernô quod à cultu rebar abesse DEI.

Proponuntur præterea passim sanctissimorum Martyrum aliorumq; clarissimorū Patrum monumentis testata consignataq; exempla, qui pro hoc solo Catholico nomine extrema pati maluerunt, quàm eorum societatem tenere, qui privato alicui spiritui & nomini adharebant.

Habe-

Sozom. lib. 4.
cap. 19.

Ambrosius in
lib. de excessu
fratris, cap. 7.

Greg. Dial. lib.
3. cap. 31.

Victor lib. 2.
& 3.

Aneas hist. or.
Bohem. c. 62.

Habemus huius rei illustre specimen apud Constantinopolitanos Catholicos, qui nullis tormentis adigi poterant ut cum Macedonio haeretico communicarent. Legimus hoc nomine laudatum Satyrum Ambrosij fratrem, qui cum ad eam Ecclesiam ex naufragio appulisset, quae se, duce quodam Lucifero, ab Episcopis Catholicis, hoc est (inquit Ambrosius) ab Ecclesia Romanae communionem diuiserat, noluit eo cognito sacram Eucharistiam de manu illius Episcopi suscipere, ne schismati detulisset & communicasse videretur. Hermigildum quoque Hispanum Regis Arriani filium ob Catholicum nomen martyrio affectum, atque gloriosam mortem Ecclesiam sacrosanctam, atque caelum ipsum exornasse testatur Magnus ille Gregorius. Africano- rum Catholicorum infinitam turbam exquisitissimis tormentorum & mortis generibus cruciatam atque extinctam inter cruentas carnificum manus acclamasse, Christiani Catholici sumus, scribit Victor de persecutione Vandalica.

Neque hic praetereundum existimo, quod de Ladislao Bohemorum Rege Catholicissimo scribit Aeneas Syluius, nunquam eum Haereticorum Ecclesiam, quamuis rogatum intrasse, neque sacris eorum inter-

interfuisse. At cum Rochefanam (erat is heretica factionis in Bohemia minister) in celebritate corporis Christi, sacram Eucharistiam per urbem deferentem (nondum enim eò profecerant illi Hæretici ut ista damnarent) è fenestra conspicatus esset, nullum reuerentia signum præbuit: percontantibus amicis cur Sacramentum dehonestasset: Non me latet (inquit) diuinissimum Christi corpus dignius esse quam ut à me satis honorari queat: verum cauendum mihi tanquam Catholico fuit, ne dum Christum honoro, sacrilegum Presbyterum Rochefanam popularibus approbasse videar; quorum plerumq; mores ex principe pendent.

Sed quorsum attinet plura exempla & testimonia conquirere, cum ex antiquarum rerum Annalibus planè constet hoc vel solo vocabulo Christianos veros, à reliquis perduellibus fuisse cognitos, atq; illud vera Ecclesie membris semper familiare & commune fuisse?

Infinitem enim esset, si omnes illos qui hoc nomine veram fidem demonstrarunt enumerare contenderem. Hoc unum dico quod est ab omnibus testatum, uniuersos quamdiu in hac Christi Ecclesia manent homines atq; perstant, de alio non labo-

D

rare

Lact. de vera
religione, libro
4. cap. ult.

rare nomine, quàm ut Catholici appellètur. Quod
cognomen ubi mutant, sese quoque è vestigio Chri-
stianos negare, quemadmodum olim præclarè à
Lactantio Firmiano ante annos mille trecentos
fuit adnotatum. Cùm enim aut Nouatiani, aut
Phryges (inquit) aut Valentiniiani, aut Marcio-
nita, aut Anthropiani seu alij nominantur, Chri-
stiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, hu-
mana & externa vocabula induerunt. Sola igitur
Catholica Ecclesia est quæ verum cultum
retinet. Hic est fons veritatis. Hoc est domicili-
um fidei.]

Hieron. contra
Lucifer.

Quid D. Hieronymum memorem? Is contra
Luciferianos disputat. Poterã (inquit) omnes pro-
positionum tuarum rivulos uno Ecclesie sole sicca-
re: sed breuem tibi apertamq; animi mei senti-
am proferam: In illa esse Ecclesia permanendum,
quæ ab Apostolis fundata usq; ad diem hunc du-
rat. Sic ubi audieris eos qui dicuntur Christiani,
non à Christo, sed ab alio quoquam nuncupari, pu-
ta Marcionitas, Valentinianos, Montenses; (ad-
de & Lutheranos, Calvinistas, Suenckfeldianos
&c.) scito non esse Ecclesiam Christi, sed Antichri-
sti Synagogam. Ex hoc enim ipso quod postea insti-
tutis

tuti sunt, eos se esse indicant, quos Apostolus futuros esse pronuntiauit.]

Athanasius quoque expressè testatur, eximium & admirabile argumentum esse ad sectam hæreticam explorandam, si à primo hæreseos Autore Christiani cognomina sortiuntur.

Athan. Orat. 2.
contra Arian.

Et non immeritò. Hanc enim sequi Ecclesiam debemus, huius instituta amplecti, quæ per orbem terrarum diffusa, in omnium gentium societatem coaluit, & ubique semper contra inferorum portas permansit. Hanc enim Scriptura viuis coloribus tanquam in tabula clarè depingunt, illamque veluti Ioannes Christum digito demonstrant.

Matth. 16.

Ioan. 1.

Quin mirabili & prouido sancti Spiritus consilio est factum, ut sacra eloquia pene apertius de Christi Ecclesia quam de ipso Christo proloquantur. Nam cum sapientissimè prouiderent multos & varios Pseudopphetas exorituros, qui magnam facerent litem de Ecclesia, nec de Christo tantam fore controuersiam, quanta erat futura de regno Christi, planius & clarius hanc nobis manifestarunt. Cumque sæpe Christum per inuolucra figurarum obscurius nobis insinuent; Ecclesiam tamen, clarissima verborum luce designant. Minor enim

D 2

diffi-

difficultas de uno potest esse capite, quod manet invariabile & regnat in cœlis, quàm de corpore huius capitis, ex diuersissimis membris constituto & peregrinante in terris, dum fortè quicumq; hominum cœtus, quacumq; conspiratione coactus, corpus huius capitis se esse mentiatur.

Quare in Psalmis & Prophetis nihil frequentius reperitur, nihil clarius exprimitur, quàm Christi Ecclesiam à suo primū exordio ad fines usq; seculorū perpetua successione a deo perduraturam, ut sub potestatem suam & æternam iurisdictionem, omnes gentes atque nationes subiungeret. Pauca de multis breuiter perstringam, & notabo potius quàm ostendam.

Psal. 2.

*David in primis Regius Psalter, sicut ipse Christi non obscurum gessit typum, ita sponsam illius diuino numine concitatus splendidis exornauit & apertissimis illustrauit testimoniis. Psal. enim secundo manifestum de Christo concinit præconium filij persona introducta. Dominus, nempe pater, dixit ad me: Filius meus es tu: Moxq; de Ecclesia subiicitur: Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam extremos fines terræ. Nemo
Chri-*

Christianus, ait D. August. hanc hereditatem ali-
ud esse quam Ecclesiam unquam intellexit. Augustinus de
vnit. Eccl. c. 8.

Sed multò evidentius Apostolorum prædicationem, atq; splendorem & amplitudinem regni Christi, psalmus modulatur decimus octauus, quem & Pfal. 18.
de iisdem ad Romanos interpretatur Apostolus. Rom. 10.

Non sunt (inquit) loquela neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum. Et rursum: In sole posuit tabernaculum suum, id est; in manifestatione posuit S. Ecclesiam suam (scribit August.) non in occulto, non qua lateat, non velut operta, ne fortè fiat sicut operta super greges Hæreticorum. Quid tu Hæretice fugis in tenebras? quid latitare conaris? August. in Enarr. eiusdem Pfal.

Iam verò Psalmus quadragesimus quartus Pfal. 44.
quàm grauitè Ecclesiæ atq; Euangelicæ prædicationis fecunditatem & ubertatem præmonstrat? cumq; obscurius de Christo dictum esset: Eructauit cor meum verbum bonum, apertè addit: pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. Hæc est Catholica Ecclesia (fatetur August.) Agnoscant qui præcisi sunt, veniant ad veritatem, adducantur ad templum August. in Enarratione.

Regis: Templum suum Deus ubiq³ collocavit, ubique firmavit super omnem terram.

Qualem autem Ecclesia vultum didicimus ab electissimo Propheta Davide, hanc eandem luculentis documentis attendamus demonstrari ab Esaia, qui pari diligentia illustrem nobis & manifestam futuram Ecclesiam Christi, in noui huius fœderis & testamenti statu præclare & magnificè proponit, ut hoc nomine à S. Hieronymo & Augustino non tam Propheta quàm Euangelista nuncupetur. Sic enim ipso statim initio de Christo & de Ecclesia pariter prophetiam suam texit: Erit in nouissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi & dicent: Venite & ascendamus ad montem Dei, qui est Christus, & ad domum Dei Iacob, quæ est Ecclesia. His verbis non numerosam tantum, sed & conspicuam fore Ecclesiam Christi prædixit. Quid enim (scribit Augustinus, ne sine teste loquamur) tam manifestum quàm mons? sed sunt & montes ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt; Iste autem mons non sic, sed erit mons in vertice

Hier. in Prolog.
Comment. in
Esa.
Aug. lib. 18.
cap. 19. de ci-
uit. Dei.

August. tract.
1. in Epist. 10-
annis,

vertice omnium montium & fluent ad eum omnes gentes: Quis errat in hoc monte? Quos odium excacavit, qui fratres non diligunt. Ipsi se separarunt ab orbe terrarum.]

Rursum, pulcherrimis verbis Ecclesiam Christi in illustri multitudine, non in obscura paucitate positam describit, adeoq; numerosam fore vaticinatur, ut uniuersus quasi orbis eam non capiat, inquiens: Ecce & isti de longè venient, & ecce illi Esa. cap. 49. ab Aquilone & mari, & isti de terra Australi: Leua in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Et iterum: Cap. 60. Sciatur in gentibus semen eorum & germen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint illos, cognoscent eos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.

Verum ne longior fiat oratio, unum atque alterum adhuc sacra Scriptura locum subnotabimus.

Hieremias quàm concorditer & apertè suffragatur Cap. 17. Esaiæ? Sedes gloria exaltata est sanctificatio nostra. His enim verbis, dicit Augustinus, Augustinus contra Faustum, lib. 13. cap. 37. docet illam Ecclesiam prædictam esse, quæ omnibus eminent & apparet.

Eze-

Ezech. 37.

Ezechiel eam gentibus conspicuam fore docet: Erit tabernaculum meum in eis: & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus: Et scient gentes quia ego Deus, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum. Certè si vel apud paucos vel obscura hac Christi sanctificatio, qua in toto Christiane religionis usu consistit, esset, sciri illa à gentibus non posset.

August. de vni-
tat. Ecclesiar.

Atq; hac quidem breuiter & succinctè ex Psalmis & Prophetis. Ne verò in alienum sensum detorta cuiquam videantur, ipsum hinc Saluatorem interpretem adhibebimus, & (ut loquitur August.) ipsum caput audiemus verissimum demonstratorem sui corporis.

Matth. 5.

Cum enim multa discipulos in monte docuisset, sic eos alloquitur; Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi super montem posita. Et ego, inquit Saluator, vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Quæ cum diceret Apostolis loquebatur, sed nos intelligebat, ait Augustinus. Nunquid enim Apostoli hinc futuri erant usq; ad consummationem seculi? Ecce usq; ad consummationem seculi dicit, non in consummatione sola: usq; ad finem, non in ipso fine tantum: usq; ad exitum

Enar. in Psal.
47.

exitum rerum, non in ipso demum exitu, ut ante exitum tot eam annis deseruerit.

Alibi disertè fatetur quòd Euangelium prædicabitur in toto mundo, & quòd porta inferorum non præualituræ sint contra Ecclesiam.

Matth. 24.

Matth. 16.

Quare huius mysterij conscij facti Apostoli, diuini Spiritus incendio eorum mentes inflammatae, per diuersas mundi prouincias diuisi, toti terrarum orbi densissima quadam & flagitiorum & ignorantia caligine circumsepto, atq; luce & splendore veritatis orbato, indefatigabili studio, labore & constantia omnibus Dei gratia facti omnia, Verbum Christi enunciare cœperunt, quod mortaliū animos à tenebris errorum ad veritatis lucem, à turpissimis moribus ad honestam vitam, à miserrima seruitute ad dulcissimam libertatem, à cupiditate rerum abiectissimarum ad cœlestium ac diuinarum contemplationem amoremq; traduxit; quod Deorum simulachra è fanis expulit, atq; iter mortalibus ad immortalitatem veramq; religionem, veluti digito, commonstrauit.

Marc. 16.

Petrus, ut D. Chrysostronus scribit, Romam accipit in disciplinam: Paulus illinc mundo annunciat Euangelium: Andreas corrigit Græciæ

Chrysostr. in
Encomio duodecim Apost.

E sapien-

sapientes: Simon Barbaros Deum docet: Thomas baptisate dealbat Æthiopes: Iacobi Cathedram honorat Iudæa: Marci thronum, quæ est ad Nilum, complectitur Alexandria: Lucas & Matthæus scribunt Euangelia: Ioannes, qui vel post finem adhuc tractat Theologiam, curat Ephesum: Bartholomæus erudit Lycaonas ad temperantiam: Philippus faciens miracula seruat Hieropolin.]

Ex his igitur & aliis apertissimis testimoniis, ne ullo fideles errore doluere sibi patiantur imponi, prudentissimè Apostoli & maiores nostri, ut Ecclesiam Christi à quibuscunq; Antichristi & Satana, ac Hæreticorum segregarent colluuiionibus, iuxta tot Scripturarum sententiam, hanc solam Catholicam nominârunt, quod nulli certo esset loco vel conuenticulo alligata, de omnibus gentibus collecta, & per omnes populos sese dilatans, duratura per omnia tempora & secula.

Quis verò non admiretur, Auditores ornatissimi, tot populos tam variis ingeniis, tam dissimiles moribus, tam vitæ institutis multiplices, in tantam concordiam & pacem coisse, ut quasi tabernaculum & familia sint vnius Dei patris? Quanta in hoc predicatur Dei clementia & virtus?
Quid

*Quid hominibus amabilius quàm in pace dulcissi-
 ma & optatissima aeternæ salutis, unum colere De-
 um? Quid Deo gloriosius quàm tam disitos & di-
 spersos populos, tam linguis, sectis, regionibus, cul-
 tibus discrepantes, tam in cæteris pene omnibus
 repugnantes, consentientibus animis, unica ea-
 demq; instructos doctrina, eadem spe erectos, iis-
 dem charitatis vinculis & amoris flammis incen-
 sos & colligatos, in unum regnum, in unam Eccle-
 siam, in unam adduxisse societatem? Non huma-
 næ istud fuit solertia, non Regum, Principum vel
 Imperatorum quorūcunq; valuisset nec quantali-
 bet armorum potentia: Neq; per Regem quemcun-
 que, vel magistratum tanta unius regni vel unius
 ciuitatis potuit constitui; nec tam firma pax &
 stabilis concordia in rebus secularibus & ad huius
 vitæ societatem pertinentibus, quanta & quàm
 arcta & constans unanimitas cōtracta est inter
 tam innumerabiles populos, tam varias gentes,
 tam diuersas nationes, quas una congregauit Ec-
 clesia Christi, qui peremit & interfecit omnes ini-
 micitias in carne sua, pax ipse, pax Ecclesie uni-
 uersæ. Ephes. 2,
 Quis non miretur? quis non attonitus ob-
 stupe scat? tam breui tempore totum mundum
 E 2 Chri-*

Arn. aduersus
gentes.

Christiana Religione fuisse completum, aut in v-
nam coisse mentem, gentes regionibus disiunctas,
ac (ut Arnobij verbis utamur) ventis, cælo, con-
uexionibusq; dimotas? Incutiunt hæc omnia sum-
mam mentibus admirationem, opprimunt magni-
tudine sua cogitationes humanas, linguã timidam
& hesitantem reddunt. Magnum equidem opus &
arduum, quod nullis humanis viribus sed diuina
virtute perfici potuit.

Matth. 7.

Eant igitur qui communitatem Ecclesie diui-
dentes schismata ac diuisiones faciunt partesq; a-
mant, atq; vanissimè cõtra veracissimos Dei Pro-
phetas, non sustinentes gloriam Christi & Ecclesie,
de sua gloriantur ac tumescunt paucitate. Hinc se
per angustam viam intrare putant, qui fastu elati
de area & populo Christi euentilantur. Inter
paucos electos se reputãt, quia paucos eiusdem per-
fidie inueniunt socios. Verum enim uerò vetusta est
hæc Hæreticorum techna ut paucos se venditent,
qui alienos se deprehendunt ab hæreditate Christi
multiplicanda in omnibus gētibus. Hoc dolo quon-
dam lusit Eunomius cum Christi cultores doleret
abhorrere à sua impietate. Hoc astu crimen perfidi-
e.

dia Donatista praeexebant, cum seditiosa & superba paucitate contra totum clamarent terrarum orbem, totum mundum apostatasse, & Helia tem- 3. Reg. 19.
 pus obiiciebant. Hoc praetextu sese Montanista excusarunt, cumq; eis dictum fuerat, quod sint Ecclesia toto orbe diffusa autoritate damnati, respondēt in se illud esse completum, quod de Paraclete dictum Ioan. 17.
 est: *Mundus eum accipere non potest.* Sic Pagani & infideles, Ecclesia quidem uniuersalis splendorem & maiestatem agnoscere, sed ferre non potuerunt. Testatur id vetustissimus autor Tertullianus Tertul: Apologetico contra gentes. hisce verbis: *Obsessam vociferantur Christiani ciuitatem: In agris, in castellis, in insulis Christianorum: Omnem sexum, etatem, conditionem etiam dignitatem transgredi ad hoc nomen quasi detrimento mœrent. Sed ideo (inquiunt Gentiles) bonum quia multos conuertit. Quanti enim ad malum praeformantur? quanti transfuga in peruersum?]*

Agnosimus quidem & Brentij aliorumq; Hereticorum verba, qui nomen Catholicon cum peccatis & criminibus conferre non erubescunt; ut similes fiant Ethnicis & Publicanis, qui Ecclesiam audire nolunt. Brent. in Proleg. contra Sotum.

E 3

Sed

Sed contra sanctissimi maiores nostri, quorum nomina in libro vite consignata sunt, ex clarissimis sacra Scriptura testimoniis & firmissimis rationibus fortiter sese istis naniis opposuerunt; & quavis multa ex ipsorum monumentis in medium contra Hereticos & Paganos produci possint, tamen ob temporis brevitatem, unum tantum Optatum illud Mileuitanum Episcopum, qui non suum unius, sed totius tunc orbis Catholici contra Donatistas iudicium de Catholici proprietate pulchrè & luculenter explicauit, secundum D. Augustini monita, audiemus: Vos quaso Auditores arrigite aures & attendite animum.

Optatus lib. 2.
contra Parm.

August. aduer.
eundem lib. 1.
cap. 3.

Illud demonstrare iam proximum est, scribit contra Parmenianum; Quae sit una Ecclesia, quam columbam & sponsam suam Christus appellat. Haec apud omnes Hereticos & Schismaticos esse non potest. Restat ut uno loco sit. Eam tu frater Parmeniane (adde Lutherane, Calviniane) apud vos solos esse dixisti: Nisi fortè quia vobis specialem sanctitatem de superbia vendicare contenditis, ut ubi vultis, ibi sit Ecclesia: & non sit, ubi non vultis: Ergo ut in particula Africa (aut Germania) in angulo paruae regionis, ut apud vos esse possit, apud

Cent. 2.

apud nos in alia parte Africæ non erit: In Hispaniis, in Italia, in Gallia, ubi vos non estis, non erit. Si apud vos tantummodo esse vultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, Misia, Thracia, Achaia, Macedonia & in tota Græcia, ubi vos non estis, non erit. Vt apud vos esse possit, In Ponto, Gallatia, Cappadotia, Pamphilia, Phrygia, Cilicia, & in tribus Syriis, & in duabus Armeniis, & in tota Ægypto, & in Mesopotamia, ubi vos non estis, non erit: Et per tot innumerabiles insulas & ceteras prouincias, quæ numerari vix possunt, ubi vos non estis, non erit. Ubi ergo erit proprietas Catholici nominis, cum inde dicta sit Catholica, quod sit rationalis & ubiq; diffusa? nam si sic pro voluntate vestra in angustum coarctatis Ecclesiã, si uniuersas subducitis gentes, ubi erit illud, quod filius Dei meruit? ubi erit quod libenter ei largitus est pater, in 2. Psal. dicens: Dabo tibi gentes hereditatem tuã, & possessionem tuam terminos terræ. Ut quid tale infringitis promissum, ut à vobis mittatur quasi in quendam carcerem latitudo regnorum? Quid tanta pietati obstare contenditis? Quid contra Saluatoris merita militatis? Permittite filium possidere concessa: Permittite patri promissa complere.

plere. Cur ponitis metas? cur figitis limites? Cum à Deo Patre Salvatore tota terra promissa sit, non est quidquam in alia parte terrarum quod à possessione eius videatur exceptum. Tota est donata terra, cum gentibus totius orbis Christo una possessio est. Hoc probat Deus, qui ait: Dabo tibi gētes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Et in septuagesimo primo Psalmo de ipso Salvatore sic scriptum est. Dominabitur à mari vsq; ad mare: Et à fluminibus vsq; ad terminos orbis terrarum.

Pater dum donat nihil excipit: Vos ut concedatis unciam, totam libram auferre conamini: Et adhuc nitimini suadere hominibus, apud vos solos esse Ecclesiam: auferētes meritum Christo: negantes prestitum à Deo. O vestra ingrata & stulta præsumptio. Christus vos cum ceteris in societatem regni cœlestis inuitat, & ut cohæredes sitis hortatur: Et vos eum in hereditate sibi à Patre concessa fraudare laboratis, dum Africæ partem conceditis, & totum terrarum orbem, qui ei à Patre donatus est, denegatis. Quid mendacem videre vultis Spiritum sanctum, qui in quadragesimo octauo Psal-

Psalmo, Omnipotentis Dei benevolentiam narrat, dum dicit: Deus Deorum Dominus locutus est, & vocavit terram, ab ortu solis usque ad occasum. Vocata est ergo terra, ut caro fieret, & sicut legitur, facta est, & debet laudes Creatori suo.

Denique commemoratur, Spiritu sancto hortante, & dicente in centesimo duodecimo Psalmo, dum dicit: Laudandum nomen Domini ab ortu solis usque ad occasum. Et iterum in nonagesimo quinto Psalmo: Cantate Domino canticum novum. Si hunc versum solum diceret, possetis dicere, quia vos solos hortatus est Spiritus sanctus: Sed ut ostenderet, quia non ad vos solos dictum est, sed & ad Ecclesiam quae ubique est, secutus est dicens: Cantate Domino omnis terra: pronunciate in gentibus gloriam ipsius, in omnibus populis mirabilia eius. Pronunciate, inquit, in gentibus. Non dicit in particula Africæ (vel Germaniæ) ubi vos estis. Pronunciate, inquit, in omnibus populis: qui omnes populos dixit, neminem excepit. Et vos solos ab omnibus populis, de quibus hoc mandatum est, separatos vos esse gratulamini. Et vultis vos solos esse totum, qui in omni toto non estis. Laudandum, inquit, nomen Domini, & à tota terra, & ab ortu solis

F lis

lis usq; ad occasum. Nunquid Pagani extra legales possunt cantare Deo, aut laudare nomen Dei. Et non sola Ecclesia, quæ in lege est, quam nisi apud vos tantummodo dicitis, fraudatis aures Dei. Si vos soli laudatis, totus tacebit orbis, qui est ab ortu solis, usq; ad occasum. Clausistis ora omnium Christianarum gentium: Indixistis silentium populis uniuersis, Deum per momenta laudare cupientibus. Igitur si & Deus debitas sibi laudes expectat: & ut sonent, Spiritus sanctus hortatur, & totus orbis quod debet, paratus est reddere, ne fraudetur Deus: etiam vos ipsi laudate cum omnibus, aut quia nolulistis esse cum omnibus, soli conticescite ergo: quia probamus eam esse Ecclesiam Catholicam, quæ est in toto terrarum orbe diffusa.]

O venerabilis Optate, quàm tua sunt omnia dicta & cogitata verissima & verbo Dei atque Euangelio consentanea. Fatemur ingenuè quod verè te D. Augustinus Catholicæ communionis Episcopum appellârit; quod verè te clarissimis Ecclesie luminibus Lactantio, Ambrosio & Cypriano comparârit. Dolemus tamen interim & lachrymosis suspiriis ingemiscimus, tot Prouincias
Apo-

August. cont.
epist. Parm. lib.

1. cap. 3.

Item lib. de

unit. Eccl. c. 16.

de doct. Chri.

cap. 4.

*Apostolica tuba conuocatas, hac infelici atate
 nostra periisse, atque ad hanc fidelium paucitatem,
 quam nunc videmus, deuenisse. Ex tribus enim
 mundi partibus, quas Geographi distinguunt,
 Europa quæ minor est, ad Ecclesiam pertinet. Ex
 qua (eheu dolor) maximam partem Hæretici, nec
 minorem perfidi Turcæ occupauere: tota quoque
 Græcia, cum tota penè Asia & Africa à Roma-
 no Imperio subducta, Barbarorum & infidelium
 principum imperio addita est; atque hac ratione
 ab ea orbis parte incepit defectio, sicut ab illa pri-
 ma profluxit Euangelij propagatio, ut præclare
 notat Diuinus ille Basilius. Verùm inter ea pluri-
 mum recreamur, & animum rursus recipimus,
 quamuis per veteres hæreses contra Christum in-
 uecto Mahometismo, orientale Imperium conci-
 derit, atque sic per Sectarios contra Christi corpus
 imperium quoque occidentale penè ad nihilum reda-
 ctum sit, quod tamen cum plurimis Christianis
 nationibus adhuc unanimitè conueniamus, atque
 cum D. Athanasio & Optato illas non sine laude
 nominare possimus, quæ in uniuerso Christiano or-
 be nobiscum una eademque utuntur fide & Sacra-
 mentorum communionè; cum Hæreticos in parte*

Basil. Epist. 70.
 Episcopis per
 Galliam & Ita-
 liam.

Athan. epist.
 ad Iouinianum.
 Opt. de fide, li-
 bro. 2. contra
 Parm.

unius aut alterius regionis positos, & ab Ecclesia horrendis erroribus miserè separatos, passim conspiciamus.

Quocirca, ô Viri Christiani, satis animaduertimus, cum Ecclesiam credere iubeamur, hanc Catholicam esse credendam, quæ omnium gentium societate coaluit, & omnium seculorum habet testimonium amplissimum.

*Frustra vocem illam horret Hæreticus, quæ vna denotatur omnis falsitatis caligo. Qualem diuina eloquia nobis prædicant, talem hac voce designamus. Valeant itaq; maleferiati homines, qui nimis in peruersum contra mentem, quæ ea sancti Patres secundum Scripturæ sensum vsi sunt, ad doctrinæ puritatem, quam ipsi fingunt, in tanta Sectarum varietate distorserunt. Quasi non ex Catholico nomine, sed ex doctrinæ sinceritate discernenda sit vera Ecclesia, extra quam nemo saluus fieri potest. Verum enim uerò quàm subdolè ac versutè faciant, ut obscurato Ecclesiæ Christi clarissimo lumine, faciliùs intra suas tenebras & errorum laqueos mentes hominum teneant irretitas, quis prudens non videt? non animaduertit? Et certè puritas doctrinæ & defecata veritatis Lympidæ
since-*

*Sinceritas apud Ecclesiam sola est, quæ columna
 & sedes est veritatis: At quò ab hac immobili ve-
 ritatis columna mentes abductas, dubias & flu-
 ctuabundas efficiant, unumquemq; prudentem esse
 volunt apud semetipsum, & ut quisq; sibi doctrinæ
 arroget examen & iudicium, carnalisq; sapientiæ
 ingerat sensus, quibus maximè conspurcatur &
 polluitur cœlestis & illibata veritas. Quæ quò a-
 liò tendunt, quàm ut dum, quæ iam sunt diligenter
 inuestigata, matura gravitate & autoritate sapi-
 entissima definita & sancita; ut dum hæc iterum
 superbe conuelluntur, & pro cuiuscunq; libidine in-
 dubium vocantur; magna oriatur opinionum va-
 rietas, & quisq; pro voluntate sua, sub glorioso E-
 uangelij & verbi diuini pretextu, varias & pu-
 gnantes inducat doctrinas: dum humanis & pri-
 uatis iudiciis immaculata & Catholica temera-
 tur fides, & quam velit quisq; errorum fabrica-
 tor constituat ac fingat Ecclesiam? Quæ quid erit
 inconstantius? quid variabilius? quid incertius?
 Magni enim periculi res est, D. inquit Ambrosius,
 si post Prophetarum oracula, post Apostolorum
 testimonia, post Martyrum vulnera, veterem &
 Catholicam fidem discutere presumas, & post tam*

Ambros. Serm.
 93. in Natali S.
 Martyr. Naza-
 rij & Celsi.

manifestos duces in errore permanetas, & post morientium sudores ociosa disputatione contendas.]

Quare, Auditores, cum illustrem hanc & clarissimam Ecclesie notam non tolerent Heretici, nihil moueamur.

Fecerunt & hoc Donatista, qui cum nulla ratione demonstrare possent, quod omnibus nationibus communicarent, subdolè & versutè finxerunt, Ecclesie Catholicae nomen, non ex totius orbis communionem sic dictum esse, sed ex observatione preceptorum omnium diuinorum atq; sacramentorum, ut D. testatur Augustinus.

Epist. 48.

Gaudentius Donatista ausus est temerario ore effutire, Catholicum nomen, humanum esse figmentum, cui quàm præclare D. respondet Augustinus? Addis furori tuo verba blasphemiae, & audes dicere Ecclesiam Catholicam humanum esse figmentum, cui Deus dicit: Dominabitur tui, qui fecit te Dominus exercituum nomen eius. Et ut sciamus ipsam eam, sequitur & adiungit. Et redemptor tuus sanctus Israel, Deus uniuersae terrae vocabitur. Tenentes ergo Ecclesiam quae dilatatur per omnes gentes, non figmentum sequimur humanum sed promissum factumq; diuinum.]

August. cont.
2. Epist. Gaud.
cap. 25.

Esai. 54.

Vin-

Vincentius Lirinensis in aureo suo contra haereses libello, sui temporis Hereticos profert blaterantes; Venite o insipientes & miseri qui vulgò Catholici vocitami.

Quid igitur mirum, Auditores, si & nostrates Sectarij hanc lucem effugiant, & miseras animas eludant, dum Christianam suam vocant Ecclesiam, & non Catholicam? Oderunt enim nec tolerant hanc vocem, quam nulla impudentia sibi audent assumere; quaq̄ sola destrui & euerti funditus gemunt, quoscunq̄ in parte fabricant cætus, abdicatos ab hereditate Christi, quæ uniuersas obtinuit gentes. Animaduertens antesignanus eorum Lutherus hac clarissima & infallibili, quasi verissima Cynosura, nota omnes suas denudari tenebras, maligna satis peruersitate ac indigna Tredecimo Apostolo, Quintoq̄ Euangelista, hanc vocem mala fide erasit de symbolo Apostolorum, Athanasij & Nicæni Concilij, quasi hostis huic nomini infestissimus, ex quo mira claritate splendet vera Christi Ecclesia: dum alij interim, satis insidiosa vafricie, tenebricosa sua conuenticula falsò studet hac voce exornare, ut aliqua fraudulentæ lucis specie rudibus & ignaris, suas cæcas ingerant errorum nebulas.

Luth. in Symb.
Apost.

Platzius in sua
concione qui
Catholici sint
nominandi.

las. Non imprudentes considerant hac totius orbis luce, quàm dispellantur & euanescent omnes falsitatis tenebra. Sed quid vocis se torquent controuersia, cum ipsius veritas tam luculenter splendescat? cum contra uniuersas haereses in plurimos diffusas cuneos, de medio Scripturarum armario tam innumera & apertissima depromamus testimonia, quibus pariter omnes haereses iugulantur resecta à communionem totius orbis; cum tandem nos ad veram Christi Ecclesiam, certo Scripturarum tramite dirigamur, ubi simul nobis poterit comprobari vera doctrina puritas, & plenitudo Dei cultus atq; caelestium arcanorum dogmata, quae ibi non humana temeritate, ut Tertullianus de haeresi refert; at diuino sunt iudicio & autoritate legitime approbata & ubiq; confirmata.

Tertull. lib. 4.
contra Marcionem.

*Quarant itaq; reliqui tenebriones qui à generosa hac stirpe excisisunt, Ecclesiam in locorum paucitate, in temporum raritate, in personarum obscuritate, in deserto deniq; positam: Retineant, si uolunt, squalidum cœtum docentium & discen-
tium impuram noui Euangelij uocem cum descernerint ab Euangelio, quod annunciat in toto terrarum orbe: sint exulantes Scholastici, ut Melanch-*

lanch-

Ianthon loquitur, in Diaboli sacello, cum in ciuitate supra montem collocata & super firmam petram adificata ciues & domestici esse nolint. Ostendant enim ex qua autoritate prodierint, prodant sua doctrina testes; & si qui fuerint, dicāt nobis; cur tam parui, ut orbem vniuersum latuerint; tam dispersi, ut nusquam congregati fuerint; tam illiterati, ut nihil scripserint; tam inepti, ut nihil dixerint?

Die fahrens
de Schüler.

Nam quid aliud est vndiq; de paucitate & obscurato Dei verbo contentiosè pugnare, quàm Christum ex ciuitate seu domo & Ecclesia sua Catholica euicere velle, & in loca deserta abditaq;, quod est in horridas illas & incultas Hereticorum Colonias & Labyrinthos relegare, qui templa, qui aras, qui sacra omnia, qui instituta Ecclesie inusitata rabie vastant, labefactant, prophanant: qui pro libidine sua, diuina omnia & humana iura spurcissimè polluant atq; peruertunt? Vt iam non solum in deserto, sed etiam in ceco quodam confusionis chao versari videantur? Cumq; in hoc vnum conueniant omnes, ut inexpugnabilem illam ciuitatem Dei, quæ Catholica est Ecclesia, mille modis machinisq; adoriantur & impugnent, ita tamen

G

in de-

in desertis suis & penetrabilibus inter sese digladiantur, ut sese mutuis vulneribus, odiis, contentionibus, conuitiis proscindant atq; conficiant.

Quod enim fretum tantas habet agitationes fluctuum, quantas hereseos impetus atq; dementia? Quae fuit unquam Sectariorum in aliqua sententia diuturna permansio? modò aiunt, modò negant; Nihil unquam fuit in illis constans & firmum, nihil quod non varias mutationes in horas singulas haberet. O scelus inexpiabile, ô inauditam improbitatem.

Utinam mihi caelestis Spiritus illam dicendi vim & elegantiam tribuisset, ut hanc tantam cladem & stragem Ecclesiae, ac miserè seductorum aeternam perniciem ac animarum interitum, vestris nunc oculis subiicere possem, non dubito quin non modò vos, qui Dei Opt. Max. beneficio Catholici estis, & illorum vicem sortemq; lachrymantes ac gementes, procul dubio doletis: sed saxa ipsa atq; lapides flere ac lamentari cogerem.

Verùm, ut finem dicendi faciam, satis superq; demonstrauimus, magnum & inuictum nomen esse Catholicum, atq; hoc solo veros & sinceros Christianos fuisse cognominatos: Hæreticos verò illud vel
fædè

fædè corrupisse, vel petulanter reiecisse, vel de pau-
citate pertinaciter oblatrâsse, cum proprio iudicio
à communionem totius orbis Christiani fuerint se-
gregati & exclusi.

Cùm itaq; & inclita hac Academia maximo-
pere curet, ut id teneat quod semper, quod ab om-
nibus creditum est, atq; hoc (ut Vincentius Liri-
nensis testatur) verè proprièq; sit Catholicum, non
immeritò cum reliquo sanctissimorum choro de
Catholico gloriatur nomine, in hoc letatur, de hoc
triumphat & exultat, hoc libris publicè editis præ-
figit, parietibus insculpit, in omnibus Orationibus
& Scriptis liberè & summa cum laude fatetur:
quod egregiè fieri gaudent Angeli, prædicant reli-
qui Catholici, letissimè vident & sentiunt apud
nos boni quàm plurimi, utcunq; stridat dentibus
Satan, & in aduersum improba nequitia & frau-
dulenta astutia furat & insaniat.

Vincent. pro
Cathol. fid. au-
tiquit.

Illam enim in una Catholica fide, cum omnibus
Christianis Gentibus & Academiis unanimiter
permansit, atq; tam sollicitam curam, tam vigi-
lans studium adhibuit, ut inter sautas & furen-
tes vicinas provincias semel susceptam IESV CHRI-

STI Saluatoris nostri doctrinam maxima constantia puram illibatamq; conseruaret. Hinc ab initio statim infausta huius & nefanda hareseos, quæ sua nunc immani colluue & tetra fœditate totum pene Christianum orbem (proh dolor) conspurcauit, non defuerunt in hac nostra Academia viri docti & Theologi eruditi, qui cum ipsis funesta huius sectæ magistris, consertis quasi manibus dimicarent, & pro fide Catholica strenuè concertarent. Illos insignes & præclaros viros hic recensere non est opus. Ipsi beata iam sunt in pace, & viuunt nomina eorum in æternum, nec de ipsorum singulari ac perpetuo in religionem studio vlla vnquam atas, vlla posteritas conticescet.

Rom. 1.
Ignat. in Epist.
ad Rom.

Irenæ. l. 3. c. 3.

Cyp. lib. 11.
Epist. 1.

Quare cum D. Paulo Doctore gentium Illam prædicat Fidem, quæ in vniuerso mundo annunciatur: cum beatissimis Martyribus castissimam & vniuersalem recipit Ecclesiam: cum Irenæo antiquissima ac ab omnibus cognita, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo fundata Ecclesia, quæ habet ab Apostolis annunciatam fidem per successiones Episcoporum ad nos vsq; peruenientem toto pectore adheret: cum Cypriano Martyre Romanam fidem Apostolo prædicante laudatam,

ut

ut Ecclesia Catholica matricem & radicem agnoscat: cum Tertulliano, quo velut quotidiano Magistro solebat gloriari Cyprianus, illius Ecclesie auctoritate, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominica adequatur, ubi Paulus exitu coronatur, ubi Apostolus Ioannes, postquam in dolium igneum demersus nihil passus est, in Insulam relegatur, uniuersos refellit Hæreticos: cum Athanasio, Petro Alexandrino & Chrysostomo ad Romanam Ecclesiam veluti ad portum communionis Catholicae confugit: cum D. Ambrosio Catholicos cognoscit Episcopos, qui cum Romana conueniunt Ecclesia: cum D. Hieronymo Christum sequitur, quia Cathedrae Petri communionem consociatur, supra illam Petram Ecclesiam edificatam nouit: cum B. Prospero ingeminat: Generali Ecclesie communicans, Christianus est Catholicus; Ab ea segregatus est Hæreticus & Antichristus: cum D. Augustino, Tenet illam in Ecclesia iustissime consensus populorum atq; gentium; tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus

Tertul. in lib.
 de præscript.
 aduers. hæret.

Amb. de obitu
 fratris,

Aug. lib. con-
 tra Epist. Ma-
 nichæi

commendauit, usq; ad presentem Episcopum successio Sacerdotum: Tenet ipsum Catholica nomen, quod non sine causa inter tam multas hereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conueniatur, nullus Hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere: cum omnibus denique Orthodoxis hanc recipit fidem quæ una est, quæ Apostolica est; non quæ Romanis tantum mœnibus & Germaniæ terminis est inclusa, sed quæ disseminata est per totum terrarum orbem; quæ peculiari constantiæ & prouidentia cœlestis præsidio semper incolumis & illibata permansit in Romana Ecclesia; quæ veritatis est magistra, antiquæ religionis schola, rectæ & incorruptæ fidei religiosissima ara; Euangelicæ veritatis columna & propugnaculum; caput demum omnium Ecclesiarum.

Num. 23.

Hinc factum est, ut perduret hæc nostra Academia in officio, diuinis legibus & institutis sanctissimaq; religione deuincta, & ab omni nefasta superstitione segregata, ut verè in illam competat; Non est Idololum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel; Dominus Deus eius cum ea est.

Quare

Quare obganniant quantum velint vulpecu-
 la vineam Domini deuastantes; cælum & terram
 Gigantes isti misceant; sursum deorsum voluant
 omnia; sacra simul & prophana confundant: ta-
 men nulla ratione, suis aut prestigiis aut clamori-
 bus, aut furoribus eò nos adigi, Dei Opt. Max. gra-
 tia patiamur, vt tanquam Ethnici & Publicani
 Ecclesiam vniuersalem vel prodamus perfidi, vel
 deseramus ingrati, vel amittamus insani. Fremat
 Tartareus ille noster aduersarius Satan, ille san-
 guinarius & rugiens leo; Acuant apri illi Sylue-
 stres suos fulmineos dentes; circumlatrent ad ra-
 biem vsq; Heretici & Apostata, qui partes amant,
 & à Catholica Ecclesia se ipsos præciderunt. Quid?
 An idcirco à complexu dulcissimæ matris nostræ
 perduelles isti nos abstrahent? Auertat à nobis
 tantam amentiam Deus, eamq; sensuum integri-
 tatem Orthodoxis conseruet omnibus, vt non quod
 Nouatores somniant, sed quod Ecclesia semper &
 vbiq; vnanimiter docuit ac recepit, ad extremum
 vsq; spiritum doceant, defendant & posteris fide-
 liter tradant. Hanc enim Christus ita bonis om-
 nibus affluenter ditauit, ita Spiritu veritatis ma-
 nente cum ea in æternum instruxit; ita sua præsen-
 tia

Matth. 23.

Iohan. 15.

Ephes. 4.

1. Timoth. 3.

Ephes. 1.

Iohan. 1.

tia omnibus diebus usq; ad consummationem seculi corroboravit; ita omnia quæ audiuit à patre suo ei nota fecit & manifestavit; ita per omnem iuncturam subministrationis connexam & compactam fecit, ut eam Apostolus columnam & firmamentum veritatis, eius quoq; corpus & plenitudinem eius esse (ex qua plenitudine omnes accepimus quotquot Christi sumus & corpori eius inserti) confidenter pronunciauerit.

Hierem. 7.

Hierem. 11.

Reliquum est, Auditores humanissimi, ne satis esse censeamus, aut falsò in hoc nobis blandiamur, si ab omni pietatis religione remotissimi gloriemur, quòd Ecclesiam teneamus, cum Iudæis fortè clamantes: Templum Domini, Templum Domini: Catholica, Catholica Academia. At quisque pro sui status conditione, in templo & sancta Christi Ecclesia, vitam Christo dignam degere studeat, ne & nobis dicatur; Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? Non proderunt nobis tot sanctitatis presidia, quæ intra Ecclesiam possidemus, si nos vitam prodigamus in sceleribus & peccatis. Habemus patres gloriosos, & tot tamq; innumerabiles sanctitate præful-

fulgentes viros. Nobilissimum stemma ducimus ab Apostolis & clarissimas tenemus Sanctorum familias. Non proderit in Sanctorum versari familias, nec si de Abraha essemus stirpe cum Iudais, si non Sanctorum & Abraha consecremur vestigia. Nam ut Christus monet, qui faciendis diuinæ legis operibus seriã dant operam, illi demum veram esse Christi doctrinam intelligent: Sic enim ait Phariseis; Qui fecerit veritatem, intelliget quod Iohan. 8. mea doctrina est ex DEO.

Cum verò Scholæ & Academia in primis fundata sint, ut & religione & moribus & vitæ honestate alios antecellant, nos præcipuè omnes animi nostri cogitationes omniq; studia eò referamus, ut in hac Catholica Academia secundum Christi mores & instituta viuamus. Perniciosè enim decipiuntur, qui quodam stupore & mentis peruersitate, Academiis licentiæ & flagitiorum esse theatra, aut Cyclopum agmina somniat, in quibus vitia, libidines, potationes, aLEX lusus dominari & imperium tenere debent, qui dum nefario quodam furore atq; audacia instincti, aliisq; variis vitiorum cupiditatibus implicati, contra Christi doctrinam cæcos animi motus, in voluptatum illecebris un-

H

diq;

diq; assumendis, ut duces sequuntur, & fidem so-
 lam sine bonis operibus insolenter predicant. Nam
 quid Academia Catholica nomini ac fama tam
 turpe, tamq; funestum atque mortiferum, quam
 Scholasticos & religionis & officij & temperan-
 tia oblitos, pecudum ritu turpe sequi ocium, noctur-
 nas & intempestivas, importuna cuiusdam bel-
 uæ feritate, sectari vociferationes, negligere studia,
 tempus pretiosissimum impiè consumere, propinas
 & ganeas, non Musarum ades & Minervæ tem-
 pla frequentare, non solum dies ac menses, sed &
 totos annos Parasytorum more in turpis gula &
 fædi ventris curatione conterere? Quomodo Scho-
 læ seminaria Christiana Reipublicæ esse possunt, ubi
 non ante omnia illud veræ pietatis, timoris Dei &
 honestatis solidum fundamentum fuerit iactum?
 Quomodo aliquando is regere populos, stabilire le-
 ges, castigare improbos, tueri bonos, præcepta sa-
 lutis & laudis aptè ad persuadendum edere suis
 subditis, hortari ad decus, reuocare à flagitio po-
 terit, qui religionem neglexit; diuina & humana
 iura violauit, sempiterni Domini numen offen-
 dit; atque se manibus inferis inaudito scelere de-
 nouit; qui denique à teneris dissolutissimis & per-
 ditissi-

ditissimis fuit moribus? Facebant itaque à nobis fuci isti, ordinisq; nostri macula & pestes detestabiles, quæ ut zizania & lolium in tritico reperiuntur; ita sese nomine tantum scholis maioribus associant aliorumq; iuuenum animos corrumpere student, haud secus quam si quis fontem publicum, unde hauriunt uniuersi, letalibus venenis inficeret.

Nam ut vulpecula illa cauda amissa, reliquas ad eam corporis partem, ut inutilem & noxiam ressecandam, ne sola turpis & deformis in suo genere videretur, callidè atque insidiosè impellebat: Sic impuri hominum istiusmodi, omni honestate & laude carentes, adolescentes recta ratione destitutos, & rerum imperitos, atq; ad ocium, cupiditatumq; lenocinia, sua sponte propendentes, pestilenti contagione sua inficiunt, atq; veteratorie & astute ad se alliciunt, suiq; reddunt quam similes. Unde parentes, heu magno cum dolore, quos à se pios, modestos probosq; dimiserant, eos recipiunt diuinum nomen quotidie execrantes, ab omni pietate & honestate alienos, impuros, aleatores, ebriosos, libidinosos, nullo denique turpitudinis genere non inquinatos & contaminatos; ut tum doleant & lachrymosis gemitibus deplorent,

H 2

sibi

sibi unquam in mentem venisse de filiis ad scholam mittendis.

Quare, Auditores præstantissimi, cum hac Academia magni illud monenti nomen Catholicum meritò obtineat, atq; in ea egregium quoddam eruditionis & sapientiæ domicilium constitutum sit, ut tanta loci celebritate commoti undiq; Studiosi ad animum clarissimis disciplinis excolendum conveniant; pro colophone huius orationis uniuersos & singulos rogo atq; obtestor, ut secundum D. Petri exhortationem, per bona opera certam suam vocationem faciant; cum mala opera verè à Christo tenebræ dictæ sint, quòd mentem sublustri Evangelicæ fidei luce illuminatam iterum obscurent, & horrendas errorum, Hæreseon ac Idololatriæ offundant tenebras.

Sic enim itur ad astra, cum veram Ecclesiam habemus matrem; cum Christum Opt. Max. pura, integra & incorrupta mente veneramur; cum illius disciplinam, præcepta & instituta sequimur; cum non nomine duntaxat, sed re ipsa Christiani Catholici sumus; cum denique omnes cupiditates illicitas ex animis nostris extrahimus. Nam nos filij Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus,

quam

quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

Porro, cum hodierna lucenovus Rector eligendus sit, ego summa cum latitia magistratum Scholasticum liberè resigno; illiusq; dignitatis insigne in conspectu vestro mihi longè iucundissimo publicè depono. Vos itaq; Patres Amplissimi, ex corpore & collegio vestro nobilissimo, pro vestra prudentiâ Rectorem alium deligite, qui ardenti & incitato sanctissimæ Religionis studio aptissimus sit ad obeunda pulcherrima & præstantissima scholæ opera; ad cœercendos improbos, ad tutandas leges, privilegia, honestos mores & disciplinarum studia.

DIXI.

Oratio hæc luculentis textibus ac testibus Catholicam commonstrans atq; commendans Ecclesiam, digna mihi videtur, quam typis excusam plurimū perlegant.

*ALBERTVS HUNGERVS S.
Theol. D. Professor & Pro-
cancellarius in Academia
Ingolstadiana.*



VINCENTIVS LIRINENSIS
GALLVS ADVERSVS PROPHA-
NAS NOVATIONES.

ILLE verus & Germanus Catholicus est, qui veritatem DEI, qui Ecclesiam, qui CHRISTI corpus diligit, qui diuina religioni, qui Catholicae fidei nihil praeposit, non hominis cuiuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam; sed haec cuncta despiciens, & in fide fixus, stabilis permanens quidquid vniuersaliter antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognouerit, id solum sibi tenendum credendumq; decernit. Quidquid verò de aliquo deinceps vno praeter omnes, vel contra omnes Sanctos, nouum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potius intelligat pertinere.

OPTATVS MILEVITANVS
EPISCOPVS LIB. VI. CON-
TRA PARMENIANVM
Donatistam.

VND E est quod Catholicos quasi pollutos appellas? An quia voluntatem & iussionem DEI secuti sumus, amando pacem, communicando toto orbi terrarum, &c. A quo vos concisos esse non solum non doletis, sed quodammodo gratulamini.



LAVS DEO VIRGINIQUE
MATRI.

ERRATA.

Fol. 2 lin. 1. lege pro &, vel. Fol. 26, lin. 19. Quis verò hoc in loco, non
Fol. 52. lin. 14. luce partim, &c.

